cum iis a quibus genitus est. Hoc autem, aiunt, est impossibile, quia actus supernaturales specie differunt a naturalibus, et quidem ex formali obiecto, ita ut ad formale obiectum infusae virtutis nullo prorsus pacto esse possit actus, et consequenter etiam, habitus naturalis.

At contra hoc est, quod non oportet obscurare clara per obscura, sed magis illustrare obscura per clara. Nunc autem quid clarius quam quod ex frequentatione actuum virtutis infusae eadem omnino acquiritur exercitii facilitas, quae acquiri solet ex qualibet repetitione actuum humanorum? Quid vero obscurius quam quod exempli gratia, formale obiectum fidei qua christianus ut talis credit Deo, est specie diversum ab obiecto formali fidei quae ex solis naturae viribus, revelatione sufficienter proposita, eidem summo Deo propter summam eius auctoritatem posset adhiberi? Si ergo stante supradicta opinione circa formale obiectum actuum supernaturalium, non potest amplius explicari generatio habitus acquisiti per exercitium virtutis infusae, non recte propter doctrinam de obiecto formali negaretur veritas generationis habitus, sed potius ex inverso, propter veritatem generationis habitus quam indubitata experientia demonstrare videtur, recte relinqueretur opinio de obiecto formali. — Caeterum, haec ipsa adversariorum sententia circa obiectum actuum supernaturalium specialibus argumentis excludetur in capitulo sequenti, ubi ostendetur quomodo in actibus infusarum virtutum distingui debet substantia actus et modus supernaturalitatis. Item quomodo actus quoad substantiam habet eamdem prorsus rationem tendentiae in obiectum ac si esset naturalis, id est ex solis naturae viribus elicitus. Atque hinc sumetur optima explicatio praesentis doctrinae, quia si per repetitos actus supernaturales potentia naturalis exercetur in eadem omnino linea ac exerceretur per naturales, necesse sane est ut iuxta principia certissima superius declarata cap. 1, eadem quoque propensiva inclinatione sigilletur ad facile et prompte exsequenda opera virtutum. Et hoc sensu dicit Molina, Concord. Disp. 38, paulo ante medium: « Supernaturales habitus fidei, spei, et charitatis a solo Deo in-
« funduntur, neque attinguntur efficienter ab actibus fidei, spei et

« charitatis supernaturalibus, etiam quoad ipsorum augmentum.
« Quia tamen actus illi eminenter continent naturales actus fi-
« dei, spei, et charitatis ([1]), eo quod ad ipsorum productionem
« concurrunt causae omnes quae producerent actus illos natura-
« les, nisi a Deo per suum supernaturalem influxum eveheren-
« tur ut producerent eos supernaturales: inde evenit quod pro-
« ducant naturales habitus fidei, spei, et charitatis, qui remanent
« in eo qui per lethale peccatum amittit charitatem supernatu-
« ralem, atque etiam in eo qui per infidelitatis peccatum amittit
« fidem ».

Et nota ultima verba in quibus continetur posterior pars assertionis nostrae, nimirum: principia omnia quae generatim de corruptione vel diminutione habituum acquisitorum valent, his etiam habitibus applicari. Et sane habitus isti, ut dictum est, causam habuerunt iteratos virtutum infusarum actus, qui impressionem sui in facultate reliquerunt, secundum quod communem habebant cum naturalibus modum tendendi in obiecta. Minime ergo per unum solum actum contrarium poterunt destrui. Unde

([1]) Cum dicuntur ibi actus naturales eminenter contineri in supernaturalibus, sciendum est quod ly *eminenter* duobus modis posset intelligi. — Primo, eo sensu quo perfectiones creaturarum dicuntur eminenter contineri in Deo, ita scilicet ut nunquam contineantur in ipso secundum modum univocum quo sunt in creaturis, sed semper secundum analogiam, et per modum undequaque transcendentem. Et sic accipiendo ly *eminenter*, certe non sufficeret eminentialis continentia actuum naturalium in supernaturalibus, ad hoc ut per repetitos actus supernaturales generaretur habitus naturalis. Et ratio est quia actus non generant nisi habitus eiusdem formaliter tendentiae in obiectum. — Sed nunc ly *eminenter* aliter est accipiendum, videlicet eo ferme modo quo perfectio animalitatis dici posset contineri eminenter in homine, quia in homine elevatur ad superiorem conditionem, tametsi salvetur univoce formalis ratio eius. Quippe, actus supernaturalis habet univoce eumdem tendentiae modum quem habuisset actus naturalis possibilis circa idem obiectum, quamvis sit ontologice elevatus ad altiorem et superiorem ordinem, utpote elicitus per vires novae illius naturae quae est gratia sanctificans. Et hic est sensus vocis *eminenter* in praesenti, quem verum et legitimum esse, disquisitio de specifica distinctione habituum infra demonstrabit.

008372

ulla fuit ratio aliquid dicendi de habitu de quo nunc nos loquimur. Erat enim extra lineam considerationis in medio positae, ut clare etiam ostendunt ultima verba: « Alias multiplicarentur « habitus in infinitum ».

Nihil ergo ex locis quos adversarii pro se adducunt, legitime concluditur. Nunc autem positive contra eos est, tum locus supra allatus ex IV Sent. D. 14, Q. 2, a. 2 ad 5um, tum parallela responsio de Virt. a. 10 ad 15um: « Dicendum quod quia a « principio virtus infusa non semper ita tollit sensum passio- « num sicut virtus acquisita, propter hoc a principio non ita de- « lectabiliter operatur ». Quid est enim quod S. Doctor dicit virtutem infusam *a principio* non ita delectabiliter operari, nisi quia supponit et pro indubitato habet quod in sui progressu delectabilitatem in operando consequitur? Et quomodo hanc delectabilitatem seu exercitii facilitatem consequeretur, nisi ratione habitus exercitio acquisiti, disponentis potentiam in qua est infusa virtus, et perficientis eam ad prompte operandum secundum virtutem? Nec puto reperiri posse apud veteres theologos ullum vestigium dubitationis in contrarium. Imo, quia res videbatur ipsa obvia experientia constare, nunquam inter eos de ea re est disputatum, quanquam eorum mens satis perspicua sit ex iis quae obiter dicunt, aliud agentes. Est autem apud S. Thomam alius egregius locus de Verit. Q. 17, a. 1 ad 4um, qui tamen opportunius afferetur infra, in responsione ad difficultatem tertiam.

Obiicitur secundo: *Habitus ille acquisitus esset naturalis, ut iam concessum est. Sed nihil naturale iuvat in ordine ad finem vitae aeternae quae omnem naturae proportionem excedit. Ergo perperam saltem diceretur, habitum hunc iuvare virtutes infusas, tanquam exercitii facilitatem eis afferentes.*

Respondeo: *Dist. min.* Nihil naturale iuvat ad finem vitae aeternae, per se et ratione sui, *conc.* Etiam ut elevatum per donum gratiae, *neg.* — Dictum est enim supra, quod proximum principium actus meritorii non est sola virtus infusa, sed potentia naturalis prout per infusam virtutem elevata. Sicut ergo virtus infusa in sui initio elevat potentiam naturalem nondum habituatam ex assuetudine operum, ita post repetitum exercitium

elevat potentiam assuefactam, et disciplinatam, et promptitudine auctam ad movendum se modo consentaneo virtuti. Et sicut potentia naturalis nihil omnino potest ad actum salutarem in sensu diviso habitus infusi, in sensu autem composito influit ad ipsam actus substantiam, ita prorsus acquisitus ille de quo nunc loquimur habitus, nisi quod non influit ad substantiam, sed ad facilitatem.

Hic ergo obiter notabis, cavendum omnino esse ab eo divortio quod inter naturam et gratiam nonnulli ponere viderentur, timentes Pelagianum errorem ubi revera nullus est timor. Quasi natura non esset necessarium gratiae fundamentum! Quasi ad gratiae operationes nihil conferret bona naturae habitudo! Quasi non communi et ordinaria lege notaretur de magnis illis sanctis quos veneratur Ecclesia, optimam eos indolem a natura semper fuisse sortitos! Optimam dico indolem quae et ipsa suo modo donum Dei est, « sub cuius occulto iudicio, nec iniusto, ait « Augustinus l. 4 c. Iulianum n. 16, alii fatui, alii tardissimi « ingenii, et ad intelligendum quodammodo plumbei, alii obli- « viosi, alii acuti memoresve nascuntur; alii utroque munere « praediti, et acute intelligentes et tenacissimae memoriae the- « sauro cognita recondentes; alii natura lenes, alii levissimis de « causis ira facillima ardentes, alii ad vindictae cupiditatem inter « utrosque mediocres; alii frigidi, alii libidinosissimi ut vix om- « nino teneantur, alii inter utrosque et moveri faciles et teneri; « alii timidissimi, alii audacissimi, alii neutrum; alii hilares, alii « tristes, alii ad nihil horum proclives. Nec eorum quae com- « memoravi, aliquid instituto ac proposito, sed natura; unde me- « dici audent ista tribuere temperationibus corporum ». Haec Augustinus, cui consonat S. Thomas, 1-2, Q. 51, a. 1: « Ex « parte corporis, ait, secundum naturam individui sunt aliqui ha- « bitus appetitivi secundum inchoationes naturales. Sunt enim « quidam dispositi ex propria corporis complexione ad castita- « tem vel mansuetudinem, vel ad aliquid huiusmodi ». Si ergo in ardua via virtutum supernaturalium tantum iuvat, accedente gratia, indoles naturalis et ipsa corporis complexio, non iuvaret acquisita per ipsissimarum virtutum exercitium inclinatio? Nihil

itaque ex hoc capite cum qualibet verosimilitudine afferri potest, quod non continuo ex certissimis experientiae legibus contra adversarios retorqueatur.

Obiicitur tertio : *Sicut ex habitu supernaturali procedere non potest actus naturalis, ita vicissim ex actuum supernaturalium repetitione causari nequit habitus naturalis. Nam quales sunt habitus, tales actus reddunt, et quales sunt actus, tales habitus causant. Ergo ex supernaturalibus infusarum virtutum actibus, vel supernaturalis habitus causatur, vel nullus. Sed non causatur supernaturalis propter rationes superius expositas. Ergo nullus.*

Respondeo negando antecedens quoad paritatem quam adstruit inter modum quo actus causatur ab habitu, et quo habitus causatur ab actu repetito. — Nam actus causatur ab habitu, quatenus est a potentia, formaliter ut per habitum determinata ad speciale operationum genus. Unde omnino est concedendum quod ab habitu supernaturali non potest esse unquam actus naturalis. Vel enim influit habitus, vel non influit. Si non influit, actus non causatur ab eo, sed solum a potentia non utente habitu. Si autem influit, pro quanto potentia utitur ipso, necessario influit ad supernaturalitatem, ut fert essentialis ratio eius. — Nunc vero habitus causatur ab actu repetito, quatenus potentia operativa patitur actum, et recipit impressionem eius, ut dictum est supra. Porro generale principium est, quod omne passivum recipit impressionem sui activi secundum modum quo natum est pati ab ipso, nec plus nec minus. Sicut cera patitur a sigillo passione physica, secundum quod sigillum est figuratum quoddam, per motum dynamicum configurans sibi subiectum cui applicatur. Non autem patitur ab eo passione chimica, secundum quod sigillum est aureum vel argenteum vel cupreum vel plumbeum, cum cera non habeat ad quaelibet metalla chimicam affinitatem, et ideo non sit nata affici secundum eiusmodi differentias. Simili itaque pacto actus supernaturales non relinquunt in facultate sigillationem sui instar impressi vestigii, quantum ad modum supernaturalitatis suae. Facultas enim non est nata recipere supernaturalem dispositionem nisi secundum potentiam obedientialem cui sola respondet activa potentia Dei. Verumtamen, quia iidem illi actus supernaturales eumdem habent modum tendendi in obiectum, quem habuissent remota supernaturalitate, ideo eodem quoque modo sigillant facultatem ac quilibet naturales actus, relinquendo in ea propensionem ad actus similis tendentiae, ac per hoc, eodem modo generant habitum entitative naturalem.

Unde S. Thomas de Verit. Q. 17, a. 1 ad 4um in secunda serie: « Ex his actibus (repetitis) non generatur habitus alterius « modi ab illo habitu ex quo actus eliciuntur, *sed vel aliquis ha-* « *bitus eiusdem rationis, sicut ex actibus infusae charitatis genera-* « *tur aliquis habitus dilectionis,* vel praeexsistens augmentatur, « sicut in eo qui habet habitum temperantiae acquisitum ex acti- « bus, ipse habitus augmentatur ». — Ubi nota primo quod non disiunctive hic loquitur S. Doctor, ut adversarii volunt. Nam tunc solum aliquis disiunctive loquitur, quando duo membra sese mutuo excludunt, et non possunt habere ambo simul veritatem, sicut si dicerem: iste homo vel bonus est vel malus, istud est vel substantia vel accidens, atque ita porro. Sed quando dico: calor solis vel emollit, sicut quando agit in ceram, vel indurat, sicut quando agit in lutum, tunc non amplius disiunctive loquor, sed utrumque membrum affirmo secundum diversitatem materiae vel casus. Et sic loquitur S. Thomas in praesenti, ut cuique consideranti apparebit. — Nota secundo quod habitus *non alterius modi,* habitus *eiusdem rationis* de quo hic sermo, nihil aliud est quam habitus eiusdem tendentiae in obiectum, quamvis non eiusdem ordinis, scilicet supernaturalis, cum actibus per quos generatur. In hoc enim est differentia ab Angelico assignata inter repetitos actus infusae charitatis et repetitos actus virtutis acquisitae, quod priores illi generant novum habitum, posteriores vero non ita, eo quod si novum habitum generarent, habitus iste foret omni ex parte in eadem linea cum habitu praeexsistente, solo numero ab eo distinctus; quod quidem in eodem subiecto contingere non potest, ut saepe iam dictum. Hinc iure meritoque asserit Angelicus quod ex eis *ipse habitus augmentatur,* et nihil aliud fit. Sed de prioribus dicit, *ex actibus infusae charitatis generatur aliquis habitus dilectionis,* utique acquisitus et

naturalis, sicut verba sonant, et totius ostendit consequentia sermonis.

Sic igitur, nequaquam videtur dubitandum quin actus infusarum virtutum habeant non solum vim meritoriam ad augmentum ipsarum virtutum secundum se, sed etiam vim efficientem ad acquisitionem habituum per quos potentiae disciplinentur ad prompte et facile exsequenda opera earummet. Et hinc bene explicatur quomodo virtutes istae in sui initio, caeteris paribus, non ita delectabiliter operentur, ut dictum est in praecedentibus. Adhuc enim sunt sine habitibus istis. Quin imo esse possunt cum habitibus oppositis, sicut patet de eo qui post multa opera mala iustificaretur per actum perfectae contritionis, aut etiam in sacramento baptismi vel poenitentiae cum sola attritione. Et hoc ultimum peculiarem continet obscuritatem postmodum elucidandam. Quod enim virtutes supernaturales in aliquo subiecto sint sine habitibus sibi deservientibus, satis intelligitur. Quod autem coexsistere possint simul cum habitibus vitiosis, non ita per se evidens est et obvium. Sed per prius declarare oportet illud quod paulo supra semper fuit praesuppositum, nimirum actus supernaturales non habere alium modum tendendi in obiecta, ac haberent remota supernaturalitate. Et hoc quidem perficiemus, exponendo statim ea quae pertinent ad specificam habituum distinctionem.

III.

DE RATIONE DISTINCTIONIS SUPERNATURALIUM HABITUUM

Postquam dictum est de habitibus ordinis supernaturalis, tam quoad essentiam eorum, quam quoad causas a quibus pendent in suo fieri, augeri, corrumpi, et exerceri: veniunt iam penitius introspiciendae rationes differentiales secundum quas tum ab habitibus naturalibus, tum inter se invicem distinguuntur.

In quo quidem, de solis habitibus operativis sollicitos nos esse oportebit. Et ratio est quia in supernaturalibus, multiplicatio habituum substantivorum locum habere nequit, cum sit unus solus possibilis qui gratia santificans dicitur. Non est igitur

quaerendum quomodo distinguatur ab aliis in eadem linea exsistentibus, quoniam ibi deest ipsum quaestionis praesuppositum. Sed nec opus est speciali investigatione ut appareat ratio distinctionis ab habitibus substantivis naturalibus, quia sufficiunt praemissa in capite praecedenti § 1. Ibi enim dictum est quod omnis habitus substantivus naturalis est quaedam dispositio vel bona vel mala in ordine ad naturam essentialem ipsius subiecti; habitus vero gratiae, participatio naturae superioris, id est essentiae divinae reduplicative in quantum ordinem habet ad operationem sibi propriam; illam dico necessariam operationem ad intra, qua Deus vivit in se et ex se beatissimus. Et omnia fuerunt ibidem sufficienter declarata, pro quanto ad praesentem tractationem conferre possunt.

Proinde ad solos habitus operativos restringitur haec nova disquisitio, in qua generalis principii loco ponenda est doctrina S. Thomae in 1-2, Q. 54, a. 2: « Habitus importat ordinem ad « aliquid. Omnia autem quae dicuntur secundum ordinem ad ali- « quid, distinguuntur secundum distinctionem eorum ad quae di- « cuntur. Est autem habitus dispositio quaedam ad duo ordinata, « scilicet ad naturam et operationem consequentem naturam ». Quod quidem generale principium si habitibus operativis bonis specialiter applicetur, duas eisdem distinctionis rationes assignabit. Prima est ordo ad operationem prout convenientem naturae praeexsistenti vel essentiali vel participatae. Altera est ordo ad operationem secundum quod in latitudine convenientium alicui naturae, circa speciale obiectum versatur. Unde subdit S. Thomas quod loquendo de habitibus formaliter ut habitus sunt, *uno modo distinguuntur secundum naturam,* puta ex eo quod habitus unus disponit ad actum convenientem naturae inferiori, alius autem habitus disponit ad actum convenientem naturae superiori. Et sic virtus humana quae disponit ad actum convenientem naturae humanae, distinguitur a divina virtute quae disponit ad actum convenientem superiori naturae, videlicet naturae participatae quae est gratia habitualis. Sed non haec est unica distinctionis ratio, nam *alio modo distinguuntur secundum obiecta specie differentia,*

si contingat virtutes supernaturales amitti per mortale peccatum, adhuc eos perseverare necesse est, usquedum per oppositam assuetudinem penitus obliterentur. Perseverant autem conferentes facilitatem ad actus naturales, imo etiam ad supernaturales supposito auxilio actualis gratiae, circa eadem obiecta circa quae erant virtutes amissae. — Restat nunc ut fundamentis opinionis adversae respondeatur.

Opponitur primo auctoritas S. Thomae. *Ait enim in 1-2, Q. 51, a. 4 ad 3um: « Actus qui producuntur ex habitu infuso non « causant aliquem habitum, sed confirmant habitum praeexsistentem, « sicut medicinalia adhibita homini sano per naturam, non causant « aliquam sanitatem, sed sanitatem prius habitam corroborant ».*

Respondeo, praemissa duplici observatione. Prima observatio est quod doctrina articuli non est specialiter de habitibus infusis per se, sed communiter de habitibus infusis tam per se quam per accidens. « Duplici ratione, inquit in corpore, habitus homini « a Deo infunduntur. Prima, quia aliqui habitus sunt quibus « homo bene disponitur ad finem excedentem facultatem naturae « humanae. (*Haec quoad infusos per se*). Alia ratio est quia Deus « potest producere effectus causarum secundarum absque ipsis « causis secundis. (*Haec quoad infusos per accidens*) ». — Secunda observatio est quod difficultas soluta in responsione ad 3um, tota procedit ex hoc quod impossibile sit ut in eodem subiecto sint duo habitus eiusdem speciei, solo numero distincti. Sic enim habet obiectio: « Praeterea, si aliquis habitus a Deo infunditur, per « illum habitum homo potest multos actus producere. Sed ex illis « actibus causatur similis habitus. Sequitur ergo, duos habitus « eiusdem speciei esse in eodem, unum acquisitum et alterum « infusum, quod videtur impossibile; non enim duae formae eius« dem speciei possunt esse in eodem subiecto. Non ergo habitus « aliquis infunditur homini a Deo ».

His igitur nunc praesuppositis, facile patet sensus responsionis, in qua id unum intendit Angelicus, nimirum non sequi ex veritate infusionis habituum, quod duae formae eiusdem speciei eidem subiecto possint inesse simul. Et ideo, si sermo sit de habitu infuso per accidens, absolute intelligendum est quod per

actus eius non causatur aliquis alius habitus, quia infusus per accidens omnino eiusdem speciei est cum acquisito. Est enim in se naturalis, et valet ad omnia ad quae acquisitus valet, et solum differt per hoc quod miraculosam habet a Deo originem. Tunc ergo, exercitium habitus infusi non producit habitum alium, sed praeexsistentem confirmat, sicut etiam exercitium temperantiae iam acquisitae non aliam inducit temperantiam, sed eam ipsam quae prius erat auget. Si autem sermo sit de habitu infuso per se, intelligendum est quod per actus eius non causatur alius habitus eiusdem rationis, sicut ferebat obiectio. Minime vero excluditur causalitas habitus acquisiti, qui etsi habeat similem tendentiam in obiectum, non tamen eiusdem rationis est cum infuso, neque idem formaliter praestat. Quare auctoritas ista non est ad rem.

Nec meliorem conclusionem erueres ex Quaest. disp. de Virtutibus, a. 10 ad 19um, ubi solvit Angelicus sequens argumentum: « Si aliquae virtutes sunt infusae, oportet quod eorum actus « sint efficaciores quam actus hominis non habentis virtutes. Sed « ex huiusmodi actibus causatur aliquis habitus virtutis in nobis. « Ergo et ex actibus virtutum infusarum, si aliquae sunt tales. « Sed quales sunt habitus, tales actus reddunt, et quales sunt « actus, tales habitus causant. Habitus igitur causati ex actibus « virtutum infusarum sunt eiusdem speciei cum virtutibus infu« sis. Sequitur igitur quod duae formae eiusdem speciei sint si« mul in eodem subiecto. Hoc autem est impossibile. Ergo im« possibile videtur quod sint in nobis aliquae virtutes infusae ». Et solutio est: « Ad 19um dicendum quod actus virtutis infusae « non causant aliquem habitum, sed per eos augetur habitus « praeexsistens, quia nec ex actibus virtutis acquisitae aliquis « habitus generatur. Alias habitus multiplicarentur in infinitum ». Hoc est: Sicut ex actibus virtutis acquisitae non generatur alius habitus acquisitus, ita nec ex actibus infusae alius habitus eiusdem ordinis et quidditatis. Et sicut exercitio operum efficienter augetur eadem numero virtus acquisita quae prius erat, ita prorsus augmentatur eadem numero virtus infusa, etsi non efficienter, at certe meritorie. Hic est obvius responsionis sensus, nec